



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio Practica ...**

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè  
instituenda - Complectens vatos & solidos modos juvandi & consolandi  
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

**Lohner, Tobias**

**Dilingae, 1677**

§. 4. Quomodo contra tentationes muniendi sint Captivi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](#)

tatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloria & benedicta.

Miseremini mei, miseremini mei saltem vos Patroni mei, quia manus Domini tetigit me.

O S. Angele Custos, defende me tuo Patrocinio, ne succumbam in rigoroso judicio.

#### §. IV.

#### Quomodo contra tentationes muniendi sint Captivi.

Duplicis generis tentationes occurtere possunt Captivis, quarum priores sunt ipsis cum ægris & caliis afflictis communes (quales sunt tentationes contra fidem, diffidentiam & desperationis, timoris vitæ amittendæ, aut possessorum bonorum, sollicitudinis de Uxore & Liberis, impatientiæ, & metus Purgatorij, de quibus sequenti in capite fusiū agetur) posteriores solis ipsis Captivis propriæ sunt, de quibus hoc loco breviter ostendetur, quâ ratione Operarius eosdem adversus eiusmodi tentationes munire debeat.

II. Prima itaque tentatio ex solitudinis & inclusionis molestia oritur, quæ ijs præcipue gravis admodum accidit, qui majori priùs libertate, licentiâque sunt usi. Contra quam sic muniatur. 1. Revocet illis in memoriam commune illud proverbium, quo dici solet: *Anima magis est, ubi amat, quam ubi animat*: hortetur proinde, ut in Paradisum cælestem mente se conferant, & sic carceris molestias non sentiant, prout olim SS. Martyres fecerant, de quibus dicebatur: *Crus in nervo, animus in calo*. 2. Horetur, ut in invocatione Sanctorum per varias preces, & lectione librorum spiritualium se instanter exerceant; sic enim fore, ut cum veritate dicere possint: Nunquam minus solus fui, quam cum solus fui. 3. Considerare eos jubeat, quam multi Sancti, se ultiro in angustias cellulas propter DEVIM, & animæ salutem incluserint, totamque propemodum vitam ibidem transegerint. Quot etiam hodie nobilissimæ, ditissimæ, & tenerrimæ Virgines testulero in perpetua claustra includi sinant, & pro summo DEI favore ac beneficio agnoscant. Dicat proin ad Captivos: Potuerunt isti, & istæ, & vos non poteritis? 4. Ostendat illis,

quam

190 *De Captivorum Confortatione Apostolica.*  
quam multorum bonorum causa hæc illis sit solitudo; etiam  
nempe, quæ multis Exercitia spiritualia ultro suscepit no-  
sine summo animi solatio, fructuque attulerunt, ut scilicet se-  
ipos agnosceret, sibiique displicere, ac DEO placere, cumo-  
que in gratiam redire, ac vitam suam deinceps emendare  
sancteque instituere possint, ut adeò verè dixerit S. Romual-  
dus: *O beata Solitudo! O sola beatitudo!* & S. Hieronymus:  
*Mibi oppidum carcer, & solitudo Paradiss est.* Sed & S. Anto-  
nio vox cælo delapsa clamorat: Si quiete cupis, Antoni,  
vade ad interius desertum. Cùm ergo & DEVIS aliquo modo  
ad bonum Captivorum respiciens illa Oseæ c. 2. verba quo-  
dammodo usurparit: *Ducam eam ( se nunc nominari putet  
quisvis Captivus) in solitudinem, & loquar ad cor eius.* merito  
pro singulari beneficio hanc solitudinem agnosceret debent.

III. Altera tentatio ex ipsius carceris pœdore, fætore,  
vinculorum duritie, Custodum inhumanitate, Judicium incle-  
mentia, tormentorum crudelitate, aliisque similibus molesti-  
is carcerem comitantibus oritur. Contra quam sic muniat  
eos Operarius. 1. Exemplum Christi, & Sanctorum nullies  
graviora patientium eos considerare jubeat, illaque sibi à  
pio Authore in Christi Persona prolatæ verba l. 1. de imita-  
19. applicare: *Quid est, quod loqueris, Fili? Cessa conqueri, con-  
siderat à meā & aliorum Sanctorum passione. Nondum utq[ue] ab  
sanguinem restitisti. Parum est, quod tu pateris in comparatione  
eorum, qui tam multa passi sunt. Oportet te igitur aliorum gra-  
viora ad mensem reducere, ut levius feras tua minima. Et si  
bi minima non videntur, vide, ne & hoc tua faciat impatientia.*  
2. Exemplum aliorum sæcularium multò pariter graviora  
patientium, maximè ægrorum, qui calculi, colicum, poda-  
græ, dentium &c. doloribus vexantur, proponat. Quo modo  
se Thomas Morus, teste Sandero p. 1. schis. Angl. solabatur  
ut qui fingebat mundum hunc esse magnum carcerem, in  
quem omnes homines conjecti, unus post alterum ad mortem  
educatur. Eundem ob finem poterunt etiam molestiores  
quidam carceres à Christianis tolerati illis depingi, uti illo-  
rum Catholicorum, qui in Vandalorum Arrianorum per-  
secutione, præter alia tormenta mille quadringenti quadragin-  
ta tres numero in unum acervum compressi cogebantur ex  
quo stabant, loco, naturæ necessitatibus servire, unde intole-  
rabilis

*De Captivorum Confortatione Apostolica.* 191

tobilis factor exortus est, ut Victor Uticensis l. 2. persec. Vandal. scribit. Item P. Caroli Spinolæ & Sociorum, qui quatuor annis in carcere omnibus aëris injuriis exposito, & tam angusto, ut cuivis non nisi spatiū duorum palmorum & tridentis concederetur, seminudi, stantes, necessitati satisfacientes, tanta patiebantur, ut P. Carolus scripsit, neminem illorum non malle vivum concremari, quam illum carcerem sustinere. Et tamen is ipse scripsit cuiquam in hæc verba: O Pater, quam suave est pro JESU aliquid pati! id ab ipso in hunc carcerem ingressu luculenter & abunde sum expertus, Paradisum in carcere habeo. 3. Suadeat illis, ut S. Francisci Borgiæ exemplo præmittant duos Nuntios, scilicet cognitionem peccatorum suorum, & inferni, qui propter ea illis debebatur; sic enim certò futurum, ut carcerem optimè præparati hospitiij loco habeant. Ita sanè S. Chrysostomus suavit: Si terribile aliquid videris (aut passus fueris) cogita gehennam, & deridebis. De duobus malis, inquit Thomas Kemp. I. 3. c. 12. minus est semper eligendum; ut ergo eterna supplicia futura possis evadere, mala presentia studeas pro DEO aquanitatem tolerare. 4. Meminisse jubeat, quid Apostolus Rom. 8. pronunciariit, nimirum quod non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua revelabitur in nobis. Hoc tunc ergo, ut solatio plenissimam Tertulliani apud Lyraeum in apoph. S. Ign. sententiam sibi applicet: O beati servi Christi! O Christiani, membra vestra ligata sunt catenis, sed spiritus uester est liberrimus. Iacent corpora in carcere, in equum, in tenebris, sed mentes uestras nihil potest perturbare. Hoc tantum agite, concendite cogitationibus uestris in palmam, considerate pulchritudinem & suavitatem caelstis gloriae, vagabundi per pulcherrimas mansiones, quas Christus sit esse in celis. Quoties eas spiritu deambulaveritis, toties in carcere non eritis; nihil crus sentit in nervo, cuius animus est in calo.

I. V. Tertia tentatio ex infamia, quam incurrisse se putant, gravitate oritur, tantoque gravius cruciat, quanto pluris plerumque fama ab ejusmodi hominibus prius amata & defensia fuit. Contra quam tamen sic eos munire poterit Operarius. 1. Christi iterum exemplum proponat, & considerare jubeat, quam exigua sit infamia eorum cum Christi infamia & contemptu comparata. 2. Innumerorum quoque martyrum

EXCEP-

192 De Captivorum Confortatione Apostolica.  
exemplum ob oculis ponere jubeat, qui omnes similem  
graviorem longè infamiam sunt passi, & tamen nullam ini-  
trititiam conceperunt, memores sermonis à Christo Matt.,  
prolati: *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & dix-  
erint omne malum adversum vos: Gaudete, & exultate, quoniam  
merces vestra copiosa est in cœlis.* 3. Ostendat eis, quod sit  
ipsum in potestate, bonam aestimationem sui apud DEUM  
acquirere, ipsiusque amicos fieri, qui summus est honor: non  
esse proinde curandum, quid homines de ipsis sentiant, sed po-  
tius ante oculos ponendum DEUM, qui illa Elcanæ ad An-  
nam Uxorem prolata verba proferat: *Numquid ego melior ibi  
sum, quam dexter Filij: aut potius omnes homines optimè vel  
pessimè de te sentientes?* 4. Insinuet illis, quod etiam apud  
homines hanc infamiam facile oblitterare possit per sanctio-  
rem vitam institutam; quid enim S. Mariæ Magdalæ, S.  
Augustino, S. Pelagiæ & similibus obfuit, aut etiamnum ob-  
est, quod aliquando per gravia peccata publicam infamiam  
contraxerint? Certè major etiam apud homines est admittatio & æstima-  
tio matrii unius Peccatoris seriam pœnitentiam agen-  
tis, quam mille aliorum, qui nunquam similem infamiam in-  
currerunt; sicut & magis æstimatur & laudatur miles, qui post  
fugam redit ad pugnam, atque insignem victoriam reportat,  
quam qui nunquam fugit, sed nec egregium quodpiam faci-  
nus in bello patravit. 5. Meminisse jubeat, quam multi in  
Comœdiis ad modicum tempus irrideri se, & pro stultis habe-  
ri patientur, ut diuturnam apud Spectatores gloriam, laude-  
que consequantur; quidni ergo & ipsi infamiam brevi tem-  
pore duraturam libenter patientur, ut tantò majorem olin  
per totam æternitatem gloriam, famamque apud DEUM, &  
universos Cœlites consequantur?

V. Quarta tentatio ex odio eorum, quos causam captivi-  
tatis fuisse suspicantur, proficiscitur, contra quam sic munierit  
eos Operarius poterit. Et 1. quidem exemplum iterum Christi  
proponat, qui, etsi sciret, Judæos fuisse causam acerbissime  
suae passionis, non modò tamen nullum erga eos odium con-  
cepit, sed potius Patrem pro iis precatus est, dicens: *Pater, di-  
mitte illis, quia nesciunt, quid faciunt*, Luc. 23. 2. Ostendat  
illos instrumenta fuisse divinæ justitiae & castigationis, atque  
ad eō perinde ut Filij morigeri manum & virgas, quibus ex-  
dantur,

duntur, osculari solent, omni veneratione & amore comple-  
tendos esse. 3. Etsi malam illi habuissent intentionem, DEO  
tamen non deesse media, per infinitam Sapientiam & Poten-  
tiam malum hoc convertendi in bonum, ut adeò æquali jure  
ad illos cum Josepho Patriarcha c. 50. dicere possint: Num  
DEI possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum.  
sed DEVS veritatem illud in bonum. 4. Demonstret, non esse nunc  
tempus irascendi & vindicandi se, sed ignoscendi, ut, quæ  
mensura mensi fuerint, eadem remetiatur ipsis Deus; quæ ratio-  
ne enim propediem coram supremo Judice comparituri favo-  
nabilem sententiam sperare poterunt, qui adeò se difficiles in  
remittendis Proximo minoribus culpis, immo omnino fortè  
aullis ostenderint?

V. I. Quinta tandem tentatio oritur ex ipsius damnatio-  
nis & supplicij extremi timore; contra quam sic eos munire  
poterit Operarius. 1. Ostendat illis, quæ inutilis & impru-  
dens sit hic timor; vel enim sequetur damnatio, quam timent,  
vel non sequetur; si non sequatur, frustra se cruciant timore  
illius mali, quod nunquam eveniet; si autem sequutura sit  
damnatio, tum saltem ante tempus imprudenter se affligūt il-  
lius imaginatione, sicque duplo gravius, diuturniusque sibi  
reddunt supplicium. 2. Ostendat, quæ longè aliter Christus  
legeret, utpote qui timorem illum non prius admittere vo-  
luit, quæcum proximè jam imminebat damnatio, & tunc ad  
montem Oliveti configuit dicens: Pater mi, si possibile est,  
transfater calix iste à me, verumtamen non mea, sed tua voluntas  
fiat. Horetur ergo illos, ut & ipsi tam salubre hoc exemplum  
sequantur, & nunc se DEO penitus resignantes dicant cum  
Heli: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, hoc faciat. Ubi  
vero propinquius periculum damnationis adverterint, juxta  
exemplum Christi ad montem Oliveti, id est, misericordiæ di-  
vinæ configuant, & supradictam cum ipso Christo orationem  
reperentes, simile cum ipso robur, solatiūmque exspectent.  
3. Persuadeat, Magistratum nihil decreturum, nisi quod jam  
ipsa usque æternitate in divino, justissimōque cœli confi-  
tiorio conclusum est; quæ proinde sententia cum ex una parte  
immutabilis ex altera parte autem summa cum sapientia ac boni-  
tate concepta sit, decet, ut summa cum reverentia, animique  
tranquillitate excipiatur. 4. Firmissimè ipsis credere jubeat,  
*Instruct. III.*

N

DEVM

DEUM, qui fidelis est, & neminem tentari, aut onerari lora vires patitur, ipsis perinde, ac olim SS. Martyribus adstitutis auxilio suo, effecturumque, ut magna cum animi æquitas, constantiaque id omne, quod per Magistratum decreturus est, sustinere possint, id quod ipsi haud dubie in pluribus, extremo supplicio affectis nō semel factū viderint. §. Meminisse quoque ipsos jubeat, quodcunq; supplicium decernendum sit, brevissimo tempore absolvit, atque adeò æquissimo, imò & hilari animo tolerandū esse, si cum æterno & inexplicabili supplicio comparetur, quod propter peccata sua in inferno sustinere debuissent, si Deus ipsos perinde, ut alios ejusmodi Peccatores, vel statim post peccatum ex hac vita avocasset, vel in statu peccati obduratos discedere permisisset. Certè si illis, qui nunc omnino peccata in inferno cruciantur, hæc gratia fieret, ut in hanc vitam redire, suaque delicta commeritis suppliciis expiare possent, promptissimis, lætissimisque animis universis, quæ ullus unquam reus sustinuerit, supplicia toleratu-

## §. V.

*Quomodo ad extremum supplicium disponendi & animandi sint Captivi.*

Quantopere conniti debeat Operarius, ut hoc in negotio munus suum accurate impleat, tam ex ijs, quæ sequenti capite §. 1. dicentur, colligi potest; tum verò etiam ex eo patet, quod, cùm ingens plerumque Populi multitudo ad talia Reorum supplicia concurrat, tot Arbitros ac Testes sux in hoc officio peritiae, charitatisque sit habiturus, quot Spectatores & Auditores numeraverit. Porro cùm aliqua sint, quæ circa ejusmodi Reos ante sententiam mortis, aliqua post illam, aliqua demum post ipsam Rei mortem observanda sunt, placetilla majoris claritatis & ordinis gratiâ sub distinctis titulis proponere, ita tamen, ut prius moneam Lectorem, cum comedere ferè sit Reorum ad extremum supplicium damnatorum, atque ægrorum in lecto morientium quoad dispositionem & animationem conditio, ideo pleraque, quæ sequentii capitulo de ægro ad Confessionem, & S. Viaticum disponendo, & per adhortationibus, suspiriisque excitando, atque ad ultimam denique luctam animando dicentur, etiam in hac occasione circa Captivos cum debita proportione observanda esse.

ME